



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

Vt in oblatione corporis & sanguinis domini incensum imponi debeat.  
ccxxvii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

In altari in quo Episcopus missam celebrat, eo die presbyter aliam iterare non presumat.

Cap. CCXXVI.

**N**EC in altari, quo missam episcopus cantauit, presbyter eo die Missam celebrare presumat. *Ex cōcil. Urbico.*

Vt in oblatione corporis et sanguinis domini incensum imponi debeat. Cap. CCXXVII.

**V**T tempore quo Euangelium legitur, finitōque offeritorio, super oblationem incensum, in mortem videlicet redemptoris nostri ponatur, decreuimus. *Ex cōcil. Rotoma. cap. 1.*

Vt quoties basilicam ad quam itur presentia nouæ plebis impleuerit, toties sacrificium subsequens offeratur. Cap. CCXXVIII.

**V**T autem in omnia obseruantia nostra concordet, illud quoque volumus custodiri, vt cum solēnior festiuitas conuentum populi numerosioris indixerit, & ad eandem tanta fidelium multitudo conuenerit, quam recipere basilica vna non possit sacrificii, oblatio indubitanter iteretur, ne hiantum admissis ad hanc deuotionem, qui prius aduenerint, videantur hi qui postmodum confluxerint non recepti, cum plenum pietatis atque rationis sit, vt quoties basilicam ad quam itur presentia nouæ plebis impleuerit, toties sacrificiū subsequens offeratur. Necesse est enim, vt quædam populi pars sua deuotione priuetur, si vnus tantum Missæ more seruato, sacrificium offerre non possint, nisi prima diei parte conuenerint.

Vt nullus presbyter titulum super titulum usurpare presumat. Cap. CCXXIX.

**V**T si quilibet presbyterorum defunctus fuerit, vicinus presbyter apud seniore secularem nulla precatōne, vel aliquo xenio Ecclesiam illam obtineat, quia titulus per se constans antea extitit, sed neque capellam sine cōsultu episcopi. Quod si fecerit, definitam sententiam sibi prolatam suscipiat, sicuti de episcopo canonica decreuit authoritas, vt si per ambitionem maiorem ciuitatem appetierit, & illam perdat quam tenuit, & illā nequaquam obtineat, quam usurpare tentauit. *Ex cōcil. Hāneten.*